

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

C.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

jam florebat, cum optimarum artium studio, tum maximè sincera doctrinæ Christianæ professione, adeo ubique vigilat Sathanas ad pietatis subversionem. Si quid de his habes, rogo ad me perscribas. Qui has perferunt, juvenes sunt Bernates, qui eo nomine mihi chari sunt, quod & majores ipsorum amicos habuerim, & alterius parentem fidelem Christi servum amicissimum & conjunctissimum etiamnum habeam, qui cum recto de religione sentiant, maluissent hic ut isthic apud vos consistere, sed suorum scholarum autoritate compulsus Heidelbergam concedunt. Eos tuæ excellentiæ, vir reverende, commendo, ut efficias, quo alicubi, ut ad octiduum apud vos locum habeant, impensis non maximis, quia non perinde pecunia abundant, ut possint Ecclesiam vestram & scolam cognoscere, erit id mihi & alterius parenti gratissimum officium, in bonos Juvenes optime collocatum. Commendo te gratiæ Dei, qui hunc annum tibi tuæque familiæ felicissimum largiatur. Scripsi Basileæ Calendis Januarii, Anno 1566.

Salvos jube ex me reverenter, symmistas tuos omnes.

T. H. totus

Simon Sulcerus.

C.

S. in Christo. Clariss. & Reverende Vir.

Quas ad Illustriss. Principem nostrum literas & conciones de Ascensu Christi in cœlum, dedisti, intellexi Celsitudini ejus gratas admodum & acceptas esse, & quo est Celsitudo ejus erga doctrinam verè piam affectu, laudat studium ac diligentiam tuam, quo præcipuos Religionis nostræ articulos (hoc est) majestatem DOMINI nostri Jesu Christi tam accurate explicare, & illustrare pergas, nec dubitat, quin præstiteris hac tua opera ecclesiæ filii Dei officium, & te dignum, & multis bonis ac piis hominibus utile. Non est tibi ignotum, quod DOMINUS ad sacerdotem Eli dixit: Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum. Speramus igitur futurum, ut cum tu gloriam filii Dei, pro tua virili, tuenda susceperis, adversarii suis scommatis, sannis, conviciis, maledictis, & calumniis impedire non possint, quin tuam vicissim laudem à DOMINO reportes. Cæterum, cum tibi visum sit, sententiam Illustrissimi Principis audire, num in publica harum concionum editione acquiescendum, an copiosius ad scripta adversariorum respondendum sit, arbitratur Celsitudo ejus, statum hujus controversiæ, tuis & aliorum scriptis ita explicatum, & tam firmis scriptorum Prophetarum & Apostolicorum testimoniis munitum, ac stabilitum esse, ut in eo illustrando vera Christi Ecclesia nihil amplius desideret.


E e

Ei

Et habent anxie defensiones sua plerunque incommodæ, quod quo plus pugnatur, eo magis veritas obscureretur, & soleant tot *partes* immisceri, ut tandem ipsi nullus plane locus relinquatur. Est & ingenium adversariorum probe cognitum & peripetum, quod tanta sint petulantia, ut gaudeant, sibi frequentibus offerri occasionem scribendi, (hoc est) calumniandi, & statum controversiæ seu iuventendi seu involvendi, quod & tu ipse in tuis ad Illustriss. Principem literis, recte & prudenter censuisti. Non enim ignorant adversarii, suam causam consistere non posse, nisi eam mendaciis, vociferationibus & amplificationibus pingant & exornent. Quare Illustriss. Princeps existimat, nec tibi, nec ecclesiæ Christi fraudi fore, etiamsi nullo eos amplius responso digneris, aut ut saltem responsonem tantisper differas, dum cognoveris, num has conciones suis scriptis (ut sunt valde scribaces) sint impugnaturi. Quod si vero omnino statueris, præter hanc generalem Apologiam, etiam peculiarem & copiosorem addere, cavendum prorsus erit, ne præter causam, ut ajunt, curras, ne quid vel supervacue vel contumeliose dicatur. Sed status ipse controversiæ, quanta fieri potest, perspicuitate & moderatione, tractetur, ut Lectores intra limites hujus negotii contineantur, & intelligant, se in cognoscenda publica ecclesiæ, non privata duorum pugilum causa versari. De quibus rebus rectè ipse, pro tua prudentia & pietate deliberabis, & quod maxime omnium ad veram ecclesiæ adificationem faciet, constitues. Bene ac feliciter vale. Studeat die 24. Januarii, Anno MDLXVI.

Quæso te, ut nomine nostro, tuas collegas & Symmistas in Christo venerandos, diligenter salutes.

Jo. Brentius.



Salus iterum. Gratissimo animo accepi tuum libellum trium concionum, quem mihi tuo nomine D. Jacobus, Cancellarius Tubingensis, reddidit; & mox peturri eum avidè. Ago igitur tuæ humanitati gratias. Adversarii vix ad hoc scriptum conticescent, & tamen non video, quid possint contradicere, nisi forte pro more suo calumnientur, quod dicis, humanitatem Christi assumptam in Trinitatem: quod certè illud ipsum est, quod à scholasticis dicitur, Christum ascendisse in cælum Trinitatis. Sed sicut hanc causam non cepimus explicare propter Sycophantas: ita juvante Domino non deseremus eam, propter ipsos. Si ridet ipsi, Dominus vicissim irridebit & subsannabit eos. Iterum vale.

CI.

S. D. Etsi hic tabellarius noster admodum importuno tempore nos accessit: non volui tamen sine hac pagella eum dimittere, ut videres, Reverende & Clariss.